

Trita omnia macerentur in succis diem unum. Postea Axungia vii Cere ꝓ iiij. liquefiant. & in his sensim omnia dissolvantur, & coquantur igne non acri, donec totus humor absumptus sit, & omnia in Unguentum coeant.

## EMPLASTRA.

De Mastiche, apud Ioubertum.

De Cerussa, ex æquis partibus Olei Rosacei & Cerussa, prout emendata est a Iouberto.

Contra rupturam, Nicolai.

Diachylum { Album.  
Ireatum, ex Oleo Irimo.  
Magnum.  
Cum Gummis.

De Mucilagibus, Nicolai Præpositi.

Diapalium a Galeni, agitando cum baculo Quercino recenti, pro Palmo.

De Meliloto, Mesuæ.

Oxyroceum, Nicolai.

De Ianua, Nicolai.

Apostolicum, Nicolai.

De Ranis, { cum Mercurio.  
Vigonis { sine Mercurio.

Pro matrice, Nicolai.

Duo sunt Emplastrorum genera apud Galenum libro quarto de Comp. medicam general. quo

rum sapiuscule mentionem facimus Commentario nostro in librum Hippocratis De vulneribus capitis, à paucis annis, magno medicina commodo ab Italis in usum revocata; Emplastrum Isis, & Emplastrum Barbarum.

Isis Emplastrum vide apud Galenum libro 5. medicamentorum generalium, cap. 2. & 3. & apud eundem, per paucis immutatis, libro 4. secundum locos, ex Asclepiade, ubi dicitur Isis cephalica. Sic autem descriptum est ab Aëtio.

*Emplastrum, Isis cephalica Galeno dictum, ex descriptione Aëtii.*

Viride, quod Isis appellatur, à quibusdam Hermoni-sacerdoti Isidis tribuitur.

℞. Ceræ ℥ xij. β.

Terebinthinae ℥ xxv. (al. xij. β.)

Ammoniaci Aëris usti

Aristolochiae longae

Squamæ Aëris usti Aëruginis

Thuris Salis Ammoniaci ana ℥ j.

Myrrhæ Aloës

Galbani ana ℥ j. β. [al. ℥ β.]

Aluminis scissilis (vel Aluminis Rocha) ℥ vj.

Olei antiqui ℥ x. Aceti quod sufficit.

Emplastrum hoc Polychrestum est, ad omnia vulnera, præcipue capitis, cum ossium fractura: Item ad puncturas & aculeos infixos extrahendos: Ad hominum

ff &

& canum morsus, item viperæ, ac scor-  
pionis: Ad artuum fracturas cum vulne-  
re, quia citius callum obducit: Ad fistu-  
las recentes & inveteratas: Ad mamma-  
rum & axillarum abscessus, tum ne fiant,  
tum ut facti curentur: Ad stromas: Ad fi-  
stendas oculorum fluxiones, fronti impo-  
situm: Ad ecchymoses, gangrænas, &  
putredines carniū arcendas.

*Hoc Emplastrum, inquit Aëtius, absolute Isis  
appellatur (vel Isis Hermonis:) sed aliud est Em-  
plastrum Isis, quod Epigono tribuitur; quod etiam  
recipit radicis Dracunculi unciam unam. Eoque  
Galenus se usum dicit; quia sola Dracunculi ra-  
dix, per se tusa, ac probe trita in pulverem, mali-  
gna ulcera curat. Ad ulcera sordida adhibentur  
Emplastri pars una, Cerati Rosacei liquidi par-  
tes dua: Ad ulcera vero quæ medica extersione  
opus habent, Emplastri pars una, Cerati Rosati  
partes tres. Hoc autem Ceratum Rosaceum sic  
paratur: ℞. Olei Rosacei ℥ xxj. Cera candida  
℥ iv. Fiat Ceratum. Ceratum Rosaceum & Em-  
plastrum proportionē dicta liquantur, miscentur,  
rudicula lignea agitantur; sed non diu, ne coloris  
gratia pereat. Loco Cerati Rosacei potest sumi Vn-  
guenti Rosati Mesue tantum idem.*

Vt formetur Emplastrum Isis, Cera, Te-  
rebinthina, & Oleum simul liquefiant:  
dein addantur Galbanum & Ammonia-  
cum, Aceto soluta: atque ad ignem com-  
mixtis addantur ceteri pulveres. Vel me-  
tal-



tallica cum Aceto in mortario terito; deinde reliqua trita & cibrata adiecto: liquabilia liquata in mortarium affundito, subigito, unito; & forma magdaleones.

*Nepites* (inquit Galenus) *Emplastrum* variare, pro varia inscriptione, cum scilicet inscribitur  $\Gamma\epsilon\gamma\acute{o}\nu\epsilon\iota\varsigma$  &  $\alpha\delta\acute{\upsilon}\tau\omega\upsilon$ , vel  $\eta\ \text{H}'\rho\mu\omega\upsilon$  &  $\iota\sigma\epsilon\gamma\gamma\epsilon\mu\mu\alpha\tau\acute{\iota}\varsigma$ , vel  $\eta\ \text{E}'\pi\iota\gamma\acute{o}\nu\epsilon\iota\varsigma$ . Nam idem est. Certe *Epigoni Emplastrum* ab *Hermonis Emplastro* variat sola radice *Dracunculi*, quam accipit. Itaque male *Londonenses* eius radice adiectionem tribuunt *Fallopio*: & male quoque *Isim* sine *Dracunculi* radice *Isim Epigoni* vocant, quoniam *Hermonis* sit potius. Addit *Galenus*, quibusdam putari hoc *Emplastrum* ex adytis templi *Vulcano* in *Aegypto* dicati desumptum. Disces ab eodem *Galeno*, *Epigonum*, cui postrema *Isidis Emplastri* descriptio tribuitur, carcere conclusum, cum hoc *Emplastro* quendam divitē curasset, fuisse dimissum.

Aliud etiam est *Isis Emplastrum* apud *Galenum* lib. 4. *Compositionis medicamentorum* per genera,  $\kappa\iota\pi\acute{\rho}\delta\upsilon$ , hoc est, flavum dictum, cum superius viride dicatur *Aëtio*.

*Emplastrum Isis, flavum dictum,*  
*Galeno.*

℞. Argenti Spumæ ʒ c.  
Minii Synopici ʒ viij.  
Diphrygis Cerae Chalciidis combu-  
stæ ana ʒ j. (al. ʒ β.)  
Ff 2 Chal.

Chalcitidis crudæ ʒ iʒ.

Olei heminas, seu corylas duas.

Argenti Spuma & Oleum coquuntur donec bis ac tertio effervescent: postea Aquæ modicum digitis adspergitur: mox Diphryges, Chalcitis tosta, pulverata inspergantur, sub manu aquam instillando, donec non amplius medicamentum inter coquendum strepat. Vbi cōstititerit, Ceram indito. Chalcitis cruda, & Minium ex Oleo modico conterantur, & sub finem immittantur, continue movendo. Tandē in mortarium coniecito, atque subigito. Reponē, ac utere.

Molle conficiendum est, quia indurescit repositum.

Valet ad ulcera diuturna fluentia, maligna, ac vix curabilia, maxime in tibiis & partibus extremis.

*Barbara Emplastra dicuntur Galeno, quacunque Bitumen recipiunt pro basi. Sed inter alia duo potissimum commemorat, quibus uti solitus erat: Primo quidem ad maxima vulnera; Altero ac minorā. Ideo primum Maius dictum, alterum Minus.*

*Emplastrum Barbarum maius,  
Galeni.*

℞. Picis lib. viij.

Ce

Cera lib. vj.  $\frac{3}{4}$  viij.  
 Resinæ Pini lib. v.  $\frac{3}{4}$  iiij.  
 Bituminis lb. iiij.  
 Olei puri lb. j.  $\frac{3}{4}$  vj.  
 Spuma Argenti Cerussæ  
 Æruginis ana  $\frac{3}{4}$  ij.  $\beta$ .  
 Thuris  $\frac{3}{4}$  vj.  
 Aluminis liquidi  $\frac{3}{4}$  j.  $\beta$ .  
 Aluminis scissilis  $\frac{3}{4}$  iiij.  
 Opopanacis Squamæ Æris  
 Galbani ana  $\frac{3}{4}$  j.  $\beta$ .  
 Aloës Opii Myrrhæ an.  $\frac{3}{4}$   $\beta$ .  
 Terebinthinæ  $\frac{3}{4}$  xiiij.  
 Succi Mandragoræ  $\frac{3}{4}$  vj.  
 Aceti heminas vj. Fiat Ceratum.

Tempus conficiendi Emplastri Barbari maioris, est cum viger Mandragora; circa mensem Augustum scilicet.

Bitumen pulveratum, & cribro transactum, ponatur super chartam. Postea Thus, Squamma Æris, Aloë, & Myrrha trita per stamen excutiantur, & seorsim seponantur. Squama autem super marmore accurate lavigetur.

Opopanax & Galbanum, Aceto soluta, ita ut parte Aceti combibita, lentore suo adhuc cohæreant, per linteum exprimantur.

Alumen tum liquidum tum scissile in pulverem tenuissimum lavigentur.

His ita præparatis, Pix, Cera, Resina  
 Ff 3 Pini



Pini ad ignem liquefiant: & si quę sordes sunt, per pannum exprimendo colentur.

Oleum cum Cerussa & Lithargyro ad consistentiam Vnguenti excoquatur.

Mox indantur Resina, Pix. & Cera, ac super igne non acri commisceantur.

Calentibus adhuc, Bitumen iniicito, & spatula diligentèr subigito.

Post hæc Terebinthina, cum Lachrymis, non nimis calida addatur.

Tandem Alumen, & post hoc reliqui pulveres inspersi, accurate cõmilceantur. Fiant magdaleones.

Ærugo cum Oleo Lithargyro & Cerussa coquenda est, ut color Emplastri magis gratus sit. Cõstione enim Ærugini coloris gratia augetur potius, quam minuitur.

Valet, ut ait Galenus, ad solidanda vulnera ciuenta & recentia: ad ulcera antiqua & sinuosa: ad canum & hominum morsus; & ad podagram incipientem.

*Emplastrum Barbarum minus  
Galenii.*

℞. Picis      Resinæ Pini  
Resinæ cõctæ, Bituminis ana    ℥. j.  
Spumæ Argenti    ʒ. x.  
Cerussæ      Æruginis, ana    ʒ. vj.  
Opopanacis    ʒ. iij.

Olei,

Olei, tempore hyberno, ℥ ix; æstivo ℥ vj.

Liquanda liquefiant: & tritis terendis,  
confice in mortario, cum Aceto.

[Eadem præstat quæ maius, sed non  
tam efficaciter.]

Quod si mitius, & magis anodynum  
desideras, adde Succi Hyoscyami ℥ β.  
Opii tantundem.

Fiat Ceratum.

*Ceterum Pharmacopœi, ad dispensationem &  
emfectionem Compositionum tum purgantium,  
tum alterantium, itemque Unguentorum & Em-  
plastrorum, aliorumque magni nominis medica-  
mentorum, quæ in Officinis asservari debent, Me-  
dicos advocabunt; in eos sua fidei & diligentia  
testes oculatos habeant, & operis directores.*

Ff 4

TY-